

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Universa**

Complectens nunc Bibliothecam perfectam Viri Ecclesiastici, ordine
sequenti

Controversiae Heterodoxae Ac Scholasticae - Cum speciali Notitia rerum
Modernarum, & Chronologia totius Monarchiae Sacrae, & Saecularis,
Pontificum, Conciliorum &c. Haeresum omnium, ac Propositionum
damnatarum Mundi Sex Aetatum ...

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

§. 2. De Prædestinatione Calviniana, accuratè exposita, & refutata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38447

Tract. II. Cap. II. De Fide, Oper. & Prædest. Controv. Recent.

59

Item, illa doctrina necessariò est falsa, quam in antiquis Hæreticis primitiva Ecclesia damnavit.

Arqui doctrina Romani fidei opposita est talis, uti infra patebit. Ergo illa necessariò est falsa. Atque hæc argumentandi ratio ex propriis principiis delumpta, cuius Sectario facilis esse debet, & eorum quibus hæc scribo captivi, & utilitati maximè accommodata.

Quod si Adversarii hæc methodo convicti, conuent ad novas Scripturæ latebras declinare, adigen- di erunt ad Methodum triplicem supra assignatam

patt. I. cap. 9.

CAPUT II.

De Fide, Operibus, Gratia, & Prædestinatione.

§. I.

Sectarii refelluntur.

Dacent primò Catholici, Fidem, & bona Opera peccatorem disponere ad justificationem, & gratiam primam, quæ transfert à statu peccati ad itatum gratiæ, & hiliorum Dei.

Docent secundò, per Fidem, & bona opera justum mereri justificationem secundam, sive augmentum gratiæ, & justitiae semel acquisitæ, adeoque digna esse mercede, mediante tamen semper gratiæ & meritis Christi, *Trid. sef. 6. cap. 8.*

Contra docent tam Lutherani, quam Calvinistæ, solam Fidem ad salutem & justitiam sufficere. Bona opera ad salutem neq; necessaria neq; utilia: In omnia iustorum opera esse peccata, & illos tantum esse iustos per justitiam Christi illis imputata.

Vita sunt *Voerio* cum quibusdam modernis Sectariis, nimis cruda, ac rigida hæc suorum Prophetarum Lutheri, & Calvini oracula. Illa igitur ipsi novo Spiritu afflato sic reformanda censuerunt, ut per bona Opera obtineatur aliqua justificatio, non quidem in hac vita, sed saltem in futura. Sed hoc ipsum ut nimis laxum contrario Spiritu damnat Samuel Marcius, & acerbè exprobrit *Voëtianis*, *Illi plus quam mediæ partem Victoria Papistis concedere*. Ita loquitur in suis Diatribis de statu afflicto modernæ Theologie apud Confederatos p. 8.

Sed patet priora quæ retulimus dogmata, ex epis Calvini verbis referentis tam suam, quam Lutheri doctrinam *lib. 1. de libero arbitrio* pag. 141. Peccare iustos etiam in operibus bonis, & bona opera esse ex semper mortalia peccata (ait): nihil est in ipsis verbis quod non simpliciter, & circa ullam figuram verum sit, Item Lutherus, *in confit. Latoni* fol. 220. Omnis justitia est immunda, omne opus bonus peccatum. Denique Calvinus in *antidot.* pag. 291. In eo differt, à Lege Evangelium, quia non sub conditione operum, sicut illa, sed ex fide vitam promittit. Et hæc est communis Sectariorū confessio, quæ juxta traditam cap. I. Methodum clare & solidè confutatur hoc argumento.

II. Illa doctrina est hæretica quæ aduersatur Scripturis ex sensu primitiva Ecclesiæ, ut omnes Sectarii admittunt. Sed hæc doctrina aduersatur Scripturis ex sensu primitiva Ecclesiæ: Ergo hæc doctrina est hæretica.

Scripturæ aduersari ostenditur ex Evangelio, ubi præter Fidem requiritur observatio Mandatorum.

R.P. Arsfeld. Tom. I.

Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serva mandata. Et de mercede dicitur *Matthais 20. Voca operarios & redde illis mercedem.* Et *Matthais 5. v. 12. Gaudete & exaltate quia merces vestra copiosa est in caelis.* Eodem modo de merito & mercede bonorum operum loquitur Apost. ad Rom. 2. v. 6. *Deus reddet unicuique secundum operas sua.* Eti. ad Cor. 3. v. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Frustra insuper diceretur *Ioan. 3. v. 14. Qui non diligit manet in morte,* si sola fides ad vitam, & salutem insufficeret.

Denique Apostolus Jacobus suæ Epist. cap. 2. v. 20. aperte declarat, *Fidem sine operibus mortuum esse..... Et ex operibus justificari hominem, & non ex fide.* Si dicat Sectarius Epistolam D. Jacobi Canoniam non esse, jubeat id ex Scripturis probare, juxta methodum primam supra assignatam.

3. Si in oppositum adferat Apostolum Paulum ad Rom. 2. ubi dicit, *nos gratis justificari, & sine operibus legis.* Respondetur Apostolum agere de operibus legis ceremonialibus, quibus Judæi le coram Deo iustos reddi, falso existimabant. Nostram autem doctrinam aperte tradit id Apostolus ad Rom. 2. v. 15. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

4. Senum primitiva Ecclesia circa has Scripturas Luther & Calvinus è diametro contrarium esse, ex testimonio SS. Patrum, qui in primitiva Ecclesia floruerunt, nunc manifestè declaro.

S. Augustinus lib. de fide & operibus cap. 14. Jam, inquit, illud videamus quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne malâ securitate salutem suam perdant, si ad eam obtainendam solam fidem sufficere putavarent.

Idem in epist. 105. ad Sixtum. Sicut merito peccati tanquam stipendum redditur mors, ita merito justitiae tanquam stipendum vita æterna.

S. Cyprianus libro de unit. Eccles. circa medium. Justitiae opus est, ut promereri quis possit Deum, præceptis & monitis ejus obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.

S. Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 35. Nonne evidens est meritorum aut præmia aut supplicia post mortem manere.

S. Basilus Orat. in init. proverb. Omnes qui viam Evangelicam incedimus mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestium comparantes.

S. Cyrillus lib. 10. in Joan. cap. 18. Quod autem fides ad salutem non sufficiat, Christus etiam discipulis ostendit, tu credis quia unus est Deus.

5. Ex his adeo manifestis hoc tantummodo potes concludere. Vel Scriptura erravit cum primitiva Ecclesia, vel nunc errat doctrina Lutheri & Calvini in terministam illi, quam illis contraria. Sed nec Scriptura, nec primitiva Ecclesia errarunt, ut ipsi fatentur. Ergo erronea est hæc Lutheri & Calvini doctrina, & consequenter tota eorum Secta, quæ huic doctrinæ adhaeret.

§. II.

Prædestinatione Calviniana exponitur, & refutatur.

Dacent Calvinistæ, Primò, Homines indepen- denter à suis meritis, vel demeritis æterno Dei de- creto

H 2

creto

60 Tract. II. Cap. II. De Fide, Oper. & Prædest. Controv. Recent.

creto prædestinari ad gloriam, vel reprobari ad penas eternas: etiam independenter à præfitione peccati originalis.

II. Ut Deus prædictum Decretum executioni mandaret, illum absolute ordinasse, ut Adam cum tota posteritate peccaret, ut inde haberet occasionem exercendi suam iustitiam circa reprobos, & suam misericordiam erga prædestinatos. Sed hæc manifestè adversantur Scripturis omnes homines sine exceptione excitantibus ad virtutem, hortantibus lapsos ad prænitentiam, & testantibus Deum ex parte sua nullius hominis perditionem desiderare, ut illud *Ezechielis 18. Nolo mortem peccatoris dicit Dominus, sed magis ut convertatur & vivat, & alibi locis innumeris. Unde eum torrente Patrum clarum est illud Augustini, Omnis quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est, ut pereat, quia alia est causa naescendi, alia pereundi. Ut enim nascuntur homines, est beneficium, ut autem pereant, prævaricationis est vitium.*

III. Docens Christum pro omnibus mortuum non esse, sed pro solis electis & prædestinatis. Contra apertam Scripturam 2. ad Cor. 5. v. 15. *Christus pro omnibus mortuis est.*

IV. Deum non omnibus dare gratiam, sed solis prædestinatis. Contra illud Apost. *Deus vult omnes homines salvos fieri, quantum est ex parte auxiliu divini.*

V. Hominem in statu naturæ lapiſe, perdidisse libertatem arbitrii, sic ut concupiscentiæ, aut gratia interna non possit resistere. Cum tamen Scriptura contrarium dicat Act. 7. v. 51. *Vos semper Spiritui sancto resistitis.*

VI. Deum hominibus præcipere impossibilia, adeoque omnia mandata non posse servari. Contra Apostolum ad Philip. 4. v. 13. *Omnia possum in eo qui me confortat.*

VII. Hinc porrò fieri, ut solis prædestinatis detur fides in Christum, quā illi amittere non possunt, reprobis autem ad fidem non vocentur, nisi forte voce externa, nec ad hanc habeant gratiam sufficientem.

VIII. Hinc solos prædestinatos esse per fidem adscriptos in Ecclesiam Dei, reprobos vero, uti à fide, ita ab Ecclesia excludi.

IX. Prædestinatos eti peccant, eorum peccata ipsi non imputari: reprobos vero à Deo impelli ad peccandum; nec ullum ipsius peccatum remitti. Hæc Scripturis supra citatis, aliisque aperè advertantur.

Ista autem dogmata nefaria ut ex ipsius Calvinii doctrina solidius patescant, paucula hic ipsius verba oculis subiecio. *Calvinus lib. 3. Institutionum cap. 21. post multa §. 7. circa finem*, sic concludit. Quod ergo Scriptura clare ostendit, dicimus, eterno & immutabili consilio Deum semel constituisse, quos olim afflumere vellet in salutem, quos rursum exitio devovere. Hoc consilium quoad electos in gratuita ejus misericordia fundatum esse asserimus, nullo humanæ dignitatis respectu: Quos vero damnationi addicit, his iusto quidem & irreprehensibili, sed incomprehensibili ipsius iudicio, viræ aditum præcludi.

Et cap. 22. §. 3. Ubiunque vero hoc regnat Dei platicum, nulla in considerationem veniunt opera. Et. 11. Si non possimus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam illi ita placet; neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam ejus voluntatem.

Et cap. 23. §. 1. Minime consentaneum est, præ-

parationem ad interitum aliò transferre, quam ad arcanum consilium Dei.

Et cap. 23. §. 8. Hic ad distinctionem voluntatis, & permissionis recurrit, secundum quam obtinere volunt, permitte modo, non autem volente Deo perire impios; & paulo post: Non dubitabo igitur cum Augustino simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum esse, quod ille voluerit. Hæc & plura de his paſſim Calvinus, & cum eo ejus aſſeclæ.

Doctrinam horum singulis oppositam communis confundit, ac probant Catholicæ, uti à nobis illa exhibetur, & deducitur infra part. 2. controversialia, de prædestinatione abſoluta ad gloriam &c.

Objiciunt Calvinista pro se potissimum locum Apostoli ad Roman. c. 9. ubi ver. 9. ait: Non est volentis neque currentis sed miserentis Dei. Et ibid. ver. 17. In hoc ipsum excitam te (scilicet Pharaonem) ut ostendam in te virtutem meam. Et ver. 18. Cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Denique ver. 21. An non habet potestatem filius lutu ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam: Ergo Deus sua sola voluntate independenter ab operibus homines prædestinat sive ad gloriam, sive ad pœnam eternam.

Respondet negando conseq. Hic enim agit Apostolus tantum de electione & reprobatione ad primam gloriam, & fidem independenter à præcedentibus meritis, non verò de electione ad gloriam eternam, aut reprobatione ab illa, de qua loquitur & contendit Calvinus: Scopus enim Apostoli erat reprehendere Iudeos qui propter opera legis & cærenias præferabant se Gentilibus ad Fidem Christi conversis, declarans illis vocationem & electionem ad fidem & gratiam Christinon dependere ab operibus legis, sed esse gratuitam, & ex beneplacito Dei hos præ illis ad fidem vocantis: ac proinde nihil facit pro electione ultimata & absoluta ad gloriam independenter ab operibus.

Objiciunt 2. Prædestinationem divinam cum libertate humana non confitentes, hoc argumento. Præscientia Dei cui nitor prædestinationis, est certa & infallibilis, sic ut non possit non esse quod illa præscivit futurum. Ergo opera nostra, & ex illis salvi aut perditio necessaria proveniunt.

Reſpondet negando conseq. Potest enim aliiquid esse certum & infallibile, quamvis ex necessitate proveniat, sed sit merè contingens ac liberum, quando scilicet non provenit illa infallibilitas ex intrinsecis terminorum connexione, uti fit in divina præscientia & prædestinatione quæ est extrinsecæ respectu nostræ operationis: hoc modo certum & infallibile est me jam loqui, quamvis omnino libere loquela exercet.

Objiciunt 3. Nemo potest resistere Decreto prædestinationis divinæ: Ergo omnia quæ Deus fieri decrevit circa hominis prædestinationem, aut reprobationem, sunt necessariæ.

Respondet negando consequiam. Sed sicut tantum inferri potest, ergo omnia quæ Deus fieri decrevit sunt eo modo quo Deus decrevit ut fierent, sive velut fieri necessariæ, sive liberæ. Jam vero ex Scripturis paſſim constat, ut supra breviter ostendi, Deum decrevit eo modo concurrere cum nostra voluntate ut huic in agenda sua libertas relinquitur. Ergo isto modo concurrit, nisi velis Deo suam omnipotentiam,

tentiam, & veritatem adimere. Tali autem Dei decreto nemo potest resistere, quia nemo potest impetrare quo minus Deus, quo ipsi placet modo, cum homine etiam ad liberum agendum concurrat sicut ipse decrevit. Unde advertat Calvinista se illo arguento non tam hominis libertatem, quam Dei omnipotentiam, & veritatem oppugnare.

Instant tamen ulterius. Deus ab æternō præscivit v.g. Antichristum peccaturum: Ergo Antichristus peccabit. Antecedens hujus consequentie est necessarium, ergo & ipsum consequens, Antichristus peccabit; cum necessitate autem non potest stare libertas.

Resp. Antecedens illud est necessarium, necessitate antecedente, nego, necessitate consequente, concedo, hoc est, ex suppositione quod Antichristus se actu & liberum determinabit ad peccandum, necessarium est illud peccatum à Deo præsciri, qui nihil potest ignorare: hæc autem necessitas consequens non provenit ex aliqua causa antecedente quæ illum urgeat aut determinet ad peccandum, sed potius præscientia illa presupponit exercitium libertatis, & est illo natura posterior, quamvis sit tempore prior, eo quod omnia quæ sunt in Deo debent esse aeterna: ut magis deducimus infra part. 2. de scientia Dei, gratia, predeterminatione &c. Unde patet quam immixtio jaclaverit *Wicelius* argumentum prædictum adeo esse efficax ut *Armaeanus* per viginti annos in illius solutione laboraverit, ac tandem vi illius coactus dixerit, Deum in sua præficiencia posse errare. Quod in Armaeano nuspam legi, & falso imponitur doctissimus *Thomas Waldensis*.

Ex prædicta Calvinistarum doctrina oritur illud hominum desperatorum Dilæmma, ad omnem vendi libertatem, ac flagitium viam apertam pandens. Vel ab æternō sum prædestinatus ad cœlum, vel reprobatus ad infernum. Si prædestinatus, quid agam salvabor: si reprobatus, quidquid agam certò damnabor. Ergo non debo de bona vel mala vita esse sollicitus.

Sed hujus dilemmatis fallacia dissolvitur hoc modo: Si sum prædestinatus, per media scil. in mea potestate constituta, certò salvabor, si illa media adhibeam; damnabor si illa nolim adhibere. In mea aurem libertate relictum est, illa media amplecti, ex quibus debo esse prædestinatus, vel ea omittendo efficer ut sum reprobatus: quod satis unicuique rete vivendi curam imponit. Ut patet in hac agrotantis similitudine. Vel Deus ab æternō prævidit & decrevit ex hoc morbo moritum, vel non. Si prævidit moritum, certò morieris, si minus, certò convalesces. An ideo omittis medicinam idoneam applicare ne mors obrepatur? Quod si putas vitam corporis per medicinam conservari posse, ne intereat, quomodo non credis te per Peccatiā, & bona Opera impedire posse ne mortem animæ aeternam incurras.

Ut vero hi, aliqui errores de Gratia divina, & Libertate humana accusati refellantur, plures de iis horum temporum controversiae in sequentibus explicanda erunt.

§. III.

De Gratia Christi, Operibus, Libero arbitrio, Controversia Recentioris.

Propriot herefes Lutheri, & Calvini de Gratia Christi, & Libertate humana, circa annum 1641. pro-

dierunt errores comprehensi in libro qui Augustinus Jansenii inscribitur. Hos errores in primo ortu detexerunt Professores Societatis Jesu in Academia Lovaniensi, acne latius serperent, illos publicis Theſibus, ac validis argumentis oppugnarunt. Signum fūstulerunt illæ ceteris Europæ Academiis, & Provinciis, ut aduersus dogmata fidei Catholicae pernicioſa omni ope & authoritate dimicarent. Id impigre tam voce, quam calamo præstiterunt omnium ordinum Viri celeberrimi, & imprimis Doctores Sorbonici, ac totius paene Gallia Antifitites. Horum omnino supra octoginta doctrinæ aut infusis eximi, cum Sorbonæ parte longe maxima, ac frequenti aliorum Ordinum assensu, ut gravissimum ab Ecclesia periculum averterent, rem totam ad supremum controversiarum judicem Pontificem Romanum suo nomine deferendam confidere.

Fuerunt quidem præcipua Jansenii dogmata prius proscripta inter propositiones septuaginta novem Michaëlis Baij per Constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. quas postea confirmavit Urbanus VIII. ipsumque Jansenii librum tanquam damnata doctrina restaurante omnibus sub anathemate interdixit. Sed cum non deciderent qui vario ducti studio Pontificis Decretis obstreperent, placuit Apostolice Sedi ad novum, supremumque examen rem totam revocare.

Iaque Innocentius X. summâ curâ ac studio tam per se, quam per viros doctissimos, excusso Jansenii volumine, quinque ex eo propositiones selegit, quæ præcipuum libri doctrinam continebant, eaque sepius examinatas, de Apostolice potestatis plenitudine, gravibus censuris confixit, & Constitutione in perpetuum valitutem condemnavit.

Ut vero aliqui iustum hunc fatalem novâ arte à novi Authoris capite averterent, has quinque propositiones, quas antea ipsam esse Augustini doctrinam defendebant, postea aliqui mutato consilio eadem à Jansenii libro, ac mente longissime abesse affirmarunt. Hos demum novo diplomate compescendos censuit Alexander VII. quo damnata dogmata, non tantum eadē quæ prædecessores censurā, profligavit, sed etiam ea in Jansenii libro eo quo damnata sunt sensu contineri Apostolicae autoritate definitivit.

Ut igitur has quoque propositiones in controversiis polemicis de Gratia quæ cæpimus methodo, Missionario Apostolico breviter proponamus, primò singula dogmata cum censura illis inusta profemus, & quo loco ab authore tradita sunt, prolatis etiam ipsius verbis, demonstrabimus. Dein quo modo Scripturæ, Conciliorum, Patrum, ac præteritum S. Augustini autoritatē aduersentur, cun faciliti argumentorum solutione, breviter, & dilucidè exponemus.

Prima Jansenii Propositio.

Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia quæ possibiliasiant. Hanc doctrinam Innocentius X. & Alexander VII. ut temerariam, impianam, blasphemam, anathematice damnatam, & Hæreticam declararunt ac damnarunt. Extat autem illa doctrina in libro Jansenii Tom. 3. lib. 3. cap. 13. col. 334. his terminis: *Hac igitur omnia plenissime*

Alsde
Kih

Theo.
logia

D 11
L 28